

et de SS. Nomine Jesu ; ergo in Missis votivis horum Mysteriorum hæc earum propria Præfatio canenda est in tono feriali ; sed in hoc tono non describitur in Ordine Missæ hæc Præfatio.

Casus propositus fuit S. Rituum Congregationi, et petitum, « utrum in ejusmodi Missis votivis Præfatio in tono solemniter cantanda sit ; an in feriali ? » Petitum fuit simul, ut liceat in Ordine Missæ, suo apto loco, apponere cantum feriale ejusdem Præfationis ? S. Congregatio, per Decretum 29 Februarii 1868 (n. 3168, antiq. 5393, ad 3), respondit, Præfationem de Nativitate in casu esse canendam « tono feriali ». Non permittit apponere hunc cantum feriale in Ordine Missæ, fortasse ut hic a S. Pio V stabilitus immutatus omnino remaneat ; sed indulget ut, ad commoditatem Sacerdotis Missam cantaturi, ad calcem Missalis, et ultimo prorsus loco, apponi possit Præfatio de Nativitate in tono feriali, cum hac rubrica : « Sequens Præfatio cum suo cantu dicitur in Missis votivis de SS. Sacramento, et de SS. Nomine Jesu. » In ultimis editionibus Missalis reperitur hæc Præfatio post Appendices Missarum. (Cfr. Q. 43.)

Quod si haud reperiatur in Missali hujusmodi cantus ferialis, quid in praxi ? Quod fieri potest, fiat. Si peritia sua fretus, feriali ratione valeat Celebrans Præfationem canere, optime se geret ; secus stet Missali ; non enim obligari Celebrans potest ad diversam ab ea quam præ oculis habeat notationem exsequendam. (Ephemerides liturgicæ, III, 1889, p. 332.)

II. Si aliqua Missa votiva privata, quæ Præfationem propriam non habet, ex. gr., de S. Joseph, cantatur in die aliqua qua fieri potest, a Festo Ascensionis usque ad Vigiliam Pentecostes exclusive, eadem difficultas habetur, quia hujus Præfationis cantandæ de Ascensione nullibi tonus ferialis describitur ; nisi diceret primam partem : *Vere dignum .. nostrum*, esse Præfationis communis, ultimam : *Et ideo... dicentes*, esse Præfationis Paschatis, et proinde remanere solam phrasim mediam : *Qui post... particeps*, non notatam. Sed laboriosa et operosa jam dicenda foret talis praxis ; itaque, ut supra conclusum fuit, in casu, quod fieri potest, fiat.

CAPUT IX

DE CANONE MISSÆ

Q. 162. *Quid intelligitur per Canonem Missæ ? Quæ est ejus antiquitas ?*

R. I. Pars sanctissima Missæ, in qua sanctissimæ Actionis Mysterium perficitur vocatur *Canon* ; quæ græca vox latine *Regula* nuncupatur. Est itaque Canon fixa stabilisque regula, juxta quam incruentum Novi Fœderis Sacrificium celebrandum est.

Vocatur *Canon*, id est Regula fixa, norma stabilis, quia semper in omni Sacrificio, per totum annum, iisdem ritibus hæc Missæ pars perficitur, iisdemque constat Orationibus ; exceptis solummodo quibusdam verbis, quæ aliquando adduntur occasione quorundam Festorum, vel ad commemorandum certas personas, ut infra notabitur.

Vocatur etiam *Actio κατ'ἑξοχήν*, legitima et regularis Sacramentorum confectio.

Stricte loquendo, Canon, qui totus refertur ad Consecrationem, additis ante et post ritum Consecrationis determinatis precibus, incipit post Præfationem et Hymnum *Sanctus*, et desinit verbis : *Per omnia sæcula sæculorum. Amen*, quæ dicuntur ante Orationem Dominicam *Pater noster*.

In silentio totus dicitur, paucissimis verbis exceptis, ex mandato Ecclesiæ, omniumque sæculorum usu ; ut sacris Mysteriis hac silentii gravitate major reverentia concilietur, et augeatur Fidelium veneratio erga ipsa, quorum ita discant inaccessam altitudinem et profunditatem in sacro silentio admirari.

De Canone Missæ effatur Concilium Tridentinum (Sessione 22, Capite IV) : « Cum sancta sancte administrari conveniat, sitque hoc omnium sanctissimum Sacrificium ; Ecclesia Catholica, ut digne reverenterque offerretur, ac perciperetur, sacrum Canonem multis ante sæculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem ac pietatem quamdam redoleat, mentesque offeren-

tium in Deum erigat. Is enim constat cum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus. »

II. Summam Canonis antiquitatem testantur ultima citata Concilii Tridentini verba. Formula qua hodie Canonem recitamus jam fixa et stabilis erat tempore S. Gregorii Magni († 604); hic addidit, ut legimus in Lectione VI ejus Festi, 12 Martii, in Oratione Canonis: *Hanc igitur etc.*, verba: *diesque nostros in tua pace disponas*; et post ipsum nullus ex Romanis Pontificibus quidquam Canonis addidit, aut in Canone verbum mutavit.

Sed et auctor operis: *Liber Pontificalis*, ineuntis sæculi VI, loquitur de Canone Romano tamquam de formula jam tunc diu stabilita; notatu dignum ipsi visum fuit, quod S. Leo Magnus († 461) in Oratione: *Supra quæ propitio, etc.*, addiderit verba: *sanctum sacrificium, immaculatam hostiam*, ut etiam legimus in Lectione VI Festi hujus Sancti, 11 Aprilis.

Imo ex antiquis documentis constat dictam Orationem jam tempore S. Damasi Papæ († 384) recitari. (Cfr. Duchesne. *Origines du culte chrétien*. Paris, 1889. Chapitre VI, 70.)

Q. 163. *Quomodo dividitur Canon Missæ?*

R. Tres sunt Canonis partes: in prima parte dicuntur tres Orationes, quæ incipiunt: *Te igitur, Hanc igitur*, et *Quam oblationem*; primæ Orationis tria sunt membra, nempe: *Te igitur, Memento*, et *Communicantes*, quæ dicuntur sub unica conclusione.

Secunda pars Canonis est ipsa Consecratio.

Tertia pars complectitur tres Orationes, quæ incipiunt: *Unde et memores, Memento etiam, Nobis quoque*; primæ Orationis tria sunt membra: *Unde et memores, Supra quæ*, et *Supplices*, quæ sub unica conclusione dicuntur. Terminatur tum Canon specialis Benedictio- nis verbis: *Per quem, etc.*, et Doxologia: *Per ipsum, etc.*, cujus conclusio: *Per omnia, etc.*, dicitur alta voce.

NOTA. In antiquissimis Libris Missalibus jam littera T, qua incipit Canon: *Te igitur etc.*, semper composita ornata reperitur; et quia ipsa Crucis commissæ, seu patibulatæ figuram refert, imagini Christi Crucifixi

apponendæ occasionem dedit, quæ imago mox majori forma inter Præfationes et Canonem depicta fuit, relicto litteræ T proprio ornatu; opportune quidem, quia in Canone præsertim recolitur memoria Passionis Domini. Belle dicit Innocentius III († 1216) in suo Tractatu *De sacro Altaris Mystero* (Liber III, Caput II), id propterea fieri, « ut non solum intellectus litteræ, verum etiam aspectus picturæ memoriam Dominicæ Passionis inspiret. Et forte divina factum est providentia, licet humana non sit industria procuratum, ut ab ea littera T Canon inciperet, quæ sui forma signum Crucis ostendit et exprimit in figura. T namque mysterium Crucis insinuat, dicente Domino per Prophetam: Signa thau super frontes virorum gementium et dolentium. » (Ezechiel, Cap. IX, v. 4.)

Q. 164. *Pro quibus orat Sacerdos in prima Canonis Oratione?*

R. In prima Canonis Oratione Sacerdos supplicat, ut Pater per Filium oblata sacrandæ accipiat pro totius Ecclesiæ militantis salute et utilitate; et memorat primo in genere Ecclesiam sanctam Catholicam; dein in specie Summum Pontificem; Episcopum proprium; omnes orthodoxos, qui nempe in fidei puritate persistunt; fidei cultores, qui nimirum in veræ fidei conservatione et propagatione laborant; illos deinde pro quibus specialiter orare vult; tandem omnes fideles circumstantes.

Q. 165. *Quid notandum est pro commemoratione Papæ, et Antistitis?*

R. I. Pro commemoratione Papæ exprimitur ad litteram N. nomen Papæ regnantis, sed sine nominis numero. — Apostolica sede vacante, omittuntur verba: *famulo tuo Papa nostro N.*, et ac dicitur: *una cum Antistite nostro N.*

II. Pro commemoratione Antistitis exprimitur ad litteram N. nomen Episcopi Ordinarii illius Diocesis in qua celebratur Missa. — Ut nomen Episcopi possit exprimi, requiritur quod sedis suæ possessionem ceperit, per se vel per procuratorem; non sufficit quod habeatur electionis Episcopi notitia aliqualis, nequidem notitia officialiter habita ejusdem electionis in Consis-

torio ; sed tantum exprimendum est nomen a die captæ possessionis, vel per Episcopum ipsum, vel per suum procuratorem. (Decret. S. Rituum Congregationis, 4 Julii 1879, n. 3500, antiq. 5789, ad 2.) Non requiritur ut Episcopus sit consecratus. — Nomen Administratoris Diœcesis, etsi dignitate Episcopali foret insignitus, in Canone non debet exprimi. (Decret. 22 Augusti 1722, n. 2274, antiq. 3952, ad 5 ; et 9 Maji 1857, n. 3047, antiq. 5239, ad 4.)

Si Episcopus Diœcesis vita sit functus, omittuntur verba : *et Antistite nostro N.* — Hæc verba etiam omittuntur ab eis qui Romæ celebrant, quia Sedem Romanam tamquam Episcopus proprius occupat Summus Pontifex, qui jam nominatus fuit. — Si Celebrans ipse est Episcopus, omissis prædictis verbis, eorum loco dicit : *et me indigno servo tuo.*

Sacerdos alienæ Diœcesis debet, relicto nomine sui Episcopi, exprimere nomen Episcopi Diœcesis in qua celebrat. Si nomen hoc ignoret, dicit : *et Antistite nostro*, mente intelligendo Episcopum illius loci. Ut debitum nomen exprimi ab omnibus Sacerdotibus valeat, congrue in omnibus sacristiis loco patenti appenditur tabella, in qua nomen Episcopi loci describitur.

(Cfr. Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 228.)

NOTA. I. In quibusdam regionibus, ex Privilegio Apostolico post nomen Antistitis etiam exprimitur nomen Principis sæcularis regnantis ; ita Summus Pontifex Pius IX, 10 Februarii 1860, confirmavit usum immemorabilem, et mandavit denuo, ut in omnibus Ecclesiis Latini Ritus intra fines Imperii Austriaci, post mentionem Papæ et Episcopi Diœcesani, addatur nomen Imperatoris et Regis Apostolici.

NOTA. II. Regularibus vetitum est, ne pro Episcopo suum Superiorem generalem, aut Prælatum sibi præpositum nominent : tenentur exprimere nomen Episcopi Ordinarii Diœcesis in qua degunt vel celebrant.

Q. 166. *Quomodo olim instituebatur Commemoratio pro vivis ? Quomodo nunc hæc facienda est ?*

R. I. In Orationis primæ membro secundo, quod in Missali superscriptionem habet : *Commemoratio pro vivis*, et quod incipit : *Memento, Domine, etc.*, locus datur interruptioni, ubi plura possunt nomina famulorum

famularumque exprimi. Olim appellabatur hæc Commemoratio : *Oratio super Diptycha* ; Diptycha (*δίς*, bis, *πτύσσειν*, plicare) erant binæ tabulæ sibi junctæ quæ instar libri poterant claudi ; in earum una inscribebantur nomina vivorum, qui dignitate erant illustres vel de Ecclesia optime meriti, vel eximii ex iis qui suas ad Sacrificium detulerant oblationes ; in altera notabantur nomina defunctorum. Ad hunc Missæ locum legebantur alta voce ab uno ex Ministris, sæpius a Diacono, alias ab ipso Sacerdote, nomina præcipua vivorum.

Consuetudo nomina hæc e Diptychis legendi viguit usque ad sæculum XI, a quo tempore secreto hæc memoria facta fuit, fortasse quia nonnulli fideles vanitatis animo, ut eorum nomina jam publice annuntiarentur, dona offerebant. Jam suo tempore carpebat S. Hieronymus († 420) hanc quorundam ambitionem.

II. Commemoratio pro vivis, ad litteras *N. et N.*, fit, in quantum privata Sacerdotis est oratio, ad suam voluntatem. Congruus et æquus ordo videtur, si Sacerdos memoriam faciat : 1° sui ; 2° eorum qui stipendium dederunt, seu erga quos ratione stipendii, aut applicationis Missæ fructus obligatur (ita faciendo simul opportune renovat intentionem applicationis Sacrificii) ; 3° suorum parentum, consanguineorum, amicorum, et aliorum ad suam voluntatem.

Commemoratio hæc fieri potest vel voce secreta, vel mente tantum. Litteræ *N. et N.* appositæ Sacerdotem admonere videntur, ut eorum exprimat nomina, pro quibus peculiariter intendit orare, sed hoc non requiritur.

Quod si Sacerdos pro pluribus orare intendit, potest ante Missam, ne circumstantibus sit morosus, in animo sibi proponere omnes pro quibus in ipsa Missa orare intendit, et hoc loco generaliter unico contextu ipsorum vivorum Commemorationem agere, pro quibus ante Missam orare proposuit in Missa. (Ritus celebrandi Missam, Tit. VIII. n. 3.)

Breviter fiat hæc Commemoratio, non tamen momentaneo tantum temporis spatio : *Memento*, ne *Memento* fiat in momento, ait Gavantus (*Thesaurus sacrorum rituum*, Pars 2, Tit. VIII, n. 3). Spatium sub quo recitari potest Oratio Dominica, videtur congrua mensura.

Exemplum commemorationis ante Missam instituendæ traditur in variis precum libris. (Cfr. *Manuale Clericorum*, ad usum alumnorum Seminarii Mechliniensis. Editio secunda, anni 1898, pag. 148.)

Q. 167. Quid significatur per Orationem « *Communicantes* » ?

R. Per Orationem *Communicantes*, quæ tertium est membrum primæ Orationis in Canone, significatur 1º quod hoc Sacrificium Deo offerimus in corpore Ecclesiæ communicantes, id est, in Ecclesiæ communionem per fidem manentes ; significatur 2º unio Sanctorum, qui in cœlis sunt, cum fidelibus hic in terra, pro quibus preces fundit Ecclesia ; et ut Deum sibi propitium faciat, commemorat Ecclesiæ Sanctorum merita et virtutem.

Sancti quorum specialis mentio fit sunt : gloriosa semper Virgo Maria, duodecim Apostoli, et duodecim SS. Martyres. (Cfr. Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 231, III.)

NOTA. Nominantur hic illi SS. Apostoli qui ab ipso Christo Domino electi fuerunt. S. Paulus vero nominatur, quia ipsum a S. Petro numquam sejungit Ecclesia Romana. S. Mathias, qui post Christi mortem electus fuit, memoratur in Oratione post Consecrationem.

SS. Martyres qui nominantur ex iis sunt qui Romæ celeberrimi erant, vel quia Romani erant aut Romæ passi erant, vel quia eorum Reliquiæ Romam translatae ibi peculiari modo honorabantur, vel quia in eorum honorem Romæ tituli seu ecclesiæ erectæ fuerunt.

SS. Romani Pontifices nominantur tres primi, S. Petro synchroni ejusque immediati successores, nempe SS. Linus, Cletus, et Clemens. Primis sæculis tota series SS. Romanorum Pontificum enumerabatur, sed mox retenti fuerunt in Canone, præter tres dictos, tantum duo, scilicet S. Xystus, probabiliter hujus nominis secundus, qui passus est 6 Augusti, anno 258, et S. Cornelius, qui martyrium passus est 14 Septembris, anno 252.

Cum S. Papa Cornelio simul nominatur S. Cyprianus, Episcopus Carthaginiensis, qui eadem die, 14 Septembris, sed non eodem anno († 258), martyrium passus est ; semper istorum SS. Martyrum cultus conjunctus fuit in Ecclesia Romana ; in antiquissimis enim Sacramentariis habent Missam communem, et eadem die celebranda præscribitur eorum natalis dies ; hodie eorum Festum colitur 16 Septembris.

Eodem anno 258, quo SS. Xystus et Cyprianus, die 10 Au-

gusti, martyrium complevit S. Laurentius, S. Xysti Diaconus, qui post S. Cyprianum nominatur.

Sequuntur tunc nomina Sanctorum Martyrum quinque laicorum ; Chrysogoni, Joannis et Pauli, Cosmæ et Damiani ; recentiores ex eis sunt SS. Joannes et Paulus, fratres, qui anno 362, sub Juliano Apostata, martyrii palmam gladio perceperunt.

In Romano Canone numquam nominati fuerunt Sancti Confessores ; primus Sanctus Confessor cultu liturgico honoratus videtur esse S. Martinus, Episcopus Turonensis († 400), cujus natalis paulo post ejus mortem cœpit celebrari in Gallia ; sed dum Romæ ordo Sanctorum qui in Canone recensentur servabatur immutatus, factum est quod Ecclesiæ diversarum regionum, quæ Liturgiam Romanam adoptaverant, mox in Canone adjungere ceperint nomina quorundam Sanctorum Confessorum, qui in regione aut Ecclesia celebres erant ; in antiquioribus Missalibus reperire est, ex. gr., in Galliis SS. Hilarium, et Martinum ; in Anglia SS. Gregorium, et Augustinum ; alibi S. Benedictum ; sed a sæculis XI vel XII jam fuerunt eorum nomina expuncta, et remansit solus ordo Sanctorum antiquus Romanus.

Q. 168. Quæ est ratio inscriptionis « *infra Actionem* » quæ ponitur ante « *Communicantes* » ?

R. Hæc inscriptio est signum pro memoria ; in quibusdam Missis, post verbum *Communicantes*, debent adungi quædam verba, ratione Festi quod celebratur ; quæ verba referebantur in antiquis Sacramentariis in ipso Proprio Missæ Festi ; postea descripta fuere, quemadmodum et hodie describuntur, post propriam Festi Præfationem (excepta Feria V, in Cœna Domini, in cujus Proprio Missæ retentæ fuerunt), cum inscriptione : *infra Actionem*, id est, infra Canonem (Q. 162) : quæ significant : Post verbum *Communicantes* in Canone sequentia addi debent verba.

Occasione reformationis Missalis sub S. Pio V, signum pro memoria inscriptum fuit non solum post propriam Præfationem, sed etiam, quod ante non erat, saltem generaliter, in ipso Canone.

Q. 169. In quibusnam Missis *infra Actionem propriam* « *Communicantes* » dicendum est ? Quid de eo notandum est ?

R. I. Proprium *Communicantes* dici debet :

1º Feria V in Cœna Domini ;

2º Sabbato sancto, in Festo Paschatis, et per Octavam usque ad sequens Sabbatum inclusive ;

3° In Vigilia Pentecostes, in Festo Pentecostes, et per Octavam usque ad sequens Sabbatum inclusive ;

4° In Festo et per Octavam Nativitatis Domini ;

5° In Festo et per Octavam Epiphaniæ ;

6° In Festo et per Octavam Ascensionis Domini.

In sex diversis his casibus, diversa verba sunt addenda, quæ correspondent diversis Mysteriis quæ in hisce casibus celebrantur.

II. 1° Fieri potest infra Octavam Ascensionis Domini, quod Missa dicatur de aliquo Festo, aut Votiva, quæ propriam Præfationem habet ; dicitur tunc, juxta regulas de Præfatione datas (Q. 155), Præfatio propria Missæ, et non Præfatio de Ascensione ; attamen in casu dicitur proprium *Communicantes* per Octavam Ascensionis præscriptum, quia est proprium de illo tempore infra Octavam ; idque fieri deberet, etiamsi de Octava Ascensionis non fieret Commemoratio, ex. gr., in Festo duplici 1 classis. (Decret. S. Rituum Congregationis, 16 Junii 1663, n. 1265, antiq. 2223, ad 3 ; et 13 Februarii 1666, n. 1333, ad 8, antiq. 2363, ad 10.)

Exemplum : Anno 1898 24 Maji, celebratum fuit in Archidiecési Mechliniensi Festum B. Mariæ V. sub titulo Auxilium Christianorum, in cujus Missa præscribitur Præfatio de B. Maria V. ; eo anno, 24 Maji erat FERIA III infra Octavam Ascensionis ; omitti debuit in Missis Festi B. Mariæ V. Præfatio de Ascensione, et dici Præfatio propria Missæ, de B. Maria V. ; tamen præscriptum fuit in Directorio, quod nihilominus dici debebat *Communicantes* proprium de Ascensione.

2° Ex eo quod proprium *Communicantes* describitur post aliquam Præfationem, non sequitur quod quoties ista Præfatio est dicenda, toties etiam proprium *Communicantes* debeat dici ; et ita, etiamsi in Missis de SS. Sacramento, et de SS. Nomine Jesu præscribatur Præfatio de Nativitate Domini, non in eis potest dici proprium *Communicantes*, præscriptum pro Festo et per Octavam Nativitatis Domini ; nulla habetur stricte loquendo relatio inter Præfationem et *Communicantes*, quod post Præfationes descriptum fuit ideo tantum quod aptior ibi visus fuit locus. Præscriptio dicendi proprium *Communicantes* limitatur omnino ad Festa et Octavas quæ in priori parte responsi describuntur.

3° In Missis de *Requiem* numquam proprium *Communicantes* dicitur.

Q. 170. Quid notandum est de secunda Oratione Canonis ?

R. I. In secunda Canonis Oratione : *Hanc igitur oblationem etc.*, petimus ut Deus accipiat præsentem oblationem totius Christianæ familiæ, quæ in prima Oratione memorata fuit ; et det nobis pacem in præsentem, et vitam cum electis in futuro.

II. Ante S. Gregorii Magni tempora petebatur hac Oratione quasi fructus specialis, pro determinatis personis, in diversis circumstantiis, vel pro variis adjunctis ; in Sacramentario Gelasiano legere est non paucas diversi tenoris hujus Orationis formulas, ex. gr., infra Quadragesimam in variis diebus Scrutinii, pro electis baptizandis ; — Sabbato sancto, et in Festo et per Octavam Paschatis, item in Vigilia et Festo Pentecostes, pro neo-baptizatis ; — diebus Ordinationum, pro Diaconis, pro Presbyteris, pro Episcopis ordinatis ; — in Consecratione Virginum pro consecratis ; — in actione nuptiali, pro conjunctis ; — in Consecratione ecclesiæ, pro fundatore ; — in Missa pro iter suscipientibus ; — in Missis pro variis defunctis ; etc. — S. Gregorius statuit ex his diversis formulis quatuor tantum esse retinendas, quod et hodie observatur.

Itaque Oratio *Hanc igitur etc.*, propria dicitur :

1° In FERIA V in Cœna Domini ; qua die in ea memoratur institutio Mysteriorum celebrationis (cfr. Missa illius diei) ;

2° Sabbato sancto, in Festo Paschatis, et per Octavam usque ad sequens Sabbatum inclusive ; pro neo-baptizatis, occasione solemnæ Benedictionis Fontis (cfr. Missa Sabbati sancti, vel Præfatio de Paschate) ;

3° In Vigilia Pentecostes, in Festo Pentecostes, et per Octavam usque ad sequens Sabbatum inclusive ; item pro neo-baptizatis, occasione solemnæ Benedictionis Fontis (cfr. Missa Vigiliæ Pentecostes, vel Præfatio in Pentecoste) ;

4° In Consecratione Episcopi ; Consecrator pro Consecrato, Consecratus vero pro seipso petit speciales grätias (cfr. Pontificale Romanum, Titulo de Conse-

cratione Electi in Episcopum, et Missale Romanum⁷ in fine, ut notatum fuit Q. 40).

Notari potest quod in Missa de *Requiem*, si cantari debet in exsequiis infra Octavas Paschatis, aut Pentecostes, numquam hæc Oratio propria dicitur.

Q. 171. *Expone breviter sensum tertiæ Orationis Canonis.*

R. Hæc tertia Oratio : *Quam oblationem etc.*, continet conclusionem et recapitulationem quamdam præcedentium oblationum, et jam maxime occupatur circa Sacrificium : in ea enim petimus, ut ex pane Corpus, et ex vino fiat Sanguis Christi, et ut hoc modo, et per talem transmutationem oblatio ipsa panis et vini fiat *benedicta* : illa enim est summa benedictio et sanctificatio quæ in illam materiam supervenire potest, unde ipsamet Consecratio solet a Patribus Benedictio appellari ; erit ita omni culpæ macula carens ac omni gratia adornata ; — *adscripta*, id est, legitima, correspondens institutioni et ordini ab ipso Christo definitis et præscriptis ; — *rata*, id est, vere facta, valida et efficax ; — *rationabilis*, id est, spiritualis, rationalis, qua non jam simplex panis et vinum, nec sanguis hircorum aut vitulorum, sed Christus ipse, qui æterna sapientia et ratio est, offertur ; — et his qualitatibus munita, fiat *acceptabilis*, id est, oblatio Deo gratissima et infinite placens.

172. Sequitur ipsa Consecratio, et Elevatio. Quæ de hac parte Missæ sanctissima dicenda sunt, fuse explicantur passim in Theologiæ Tractatu de Venerabili Sacramento Eucharistiæ, et Tractatu de Sacrificio Missæ ; Cæremoniæ observandæ exponuntur in Sacræ Liturgiæ Tractatu de celebratione Sanctissimi Missæ Sacrificii (QQ. 234-236).

Liceat hic verbum addere de dispositione eximiæ pietatis, quacum Sacerdos in hac sanctissima Actionis parte omnia dicat et peragat oportet.

Quæ ad Consecrationem pertinent verba cum summa attentione, reverentia et veneratione integre distincteque sunt proferenda, quoniam illa Sacerdos quasi

ore Christi, ut ita dixerim, eloquitur, et illa loquens Christi fungitur officio : quocirca in illis recte et decenter enuntiandis summa adhibenda est cura et animadversio. (Clichtoveus. *Elucidatorium ecclesiasticum*. Parisiis. 1548. L. III, n. 29.)

Quando Sacerdos sacram Hostiam manu tenens genua flectit, Dominum hunc adorare debet adeo profunda reverentia, ut cor suum usque ad ipsam abyssum humiliet, quasi desiderans in terræ profundum descendere ob tantæ majestatis reverentiam. Et memor, quod Angeli descendant e cælo, ut huic Domino in Sacrificio adsint, cogitare debet, in eo momento se circumdari Angelorum exercitu, et simul cum illis adorare et laudare communem omnium Dominum et Creatorem. — Et quando ipsam Hostiam sacram sursum elevat, id faciet, nunc cum sensu doloris et lacrymis, memor Dominum eundem propter ipsius peccata fuisse in Cruce elevatum et ab omnibus contemptum ; nunc idem faciet affectu quodam gaudii et gratitudinis, quod ipsam Hostiam elevet, ut honor ipsi Domino deferatur, et ab omnibus adoretur, quasi in compensationem præteritorum contemptuum. Alias potest etiam in memoriam revocare, quod idem Dominus dixit ; « Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum » (Joan. Cap. XII, v. 32), et eundem Dominum orabit, ut dignetur ipsius cor ad cælum elevare, ubi ipse ad dextram Patris sedet. (De Ponte. *De christiani hominis perfectione*. Colonix 1625. Tom. IV, Tract. II, cap. XII, § 2.)

Q. 173. *Quenam variatio ad verba « Qui pridie etc. » animadvertenda est ?*

R. Semel in anno, scilicet in Missa Feriæ V in Cœna Domini, ob solemnem commemorationem Institutionis Sacrificii, quæ hac die celebratur, præscribitur variatio ad hæc verba ; dicitur enim : *Qui pridie, quam pro nostra omniumque salute pateretur, hoc est, hodie, accepit panem, etc.*

Hæc diei mentio antiquissima est, et reperitur in Sacramentario Gelasiano ; formula vero, ut supra traditur, tempore S. Gregorii Magni jam in usu erat.